



LOGICA PRACTICA  
SIVE  
PROBLEMATA  
LOGICA  
QVIBVS OMNE RATIONIS EXERCITIVM  
CONTINETVR  
CVM RESOLVTIONIBVS  
IN  
VSVM AVDITORVM  
ACCEDIT MANTISSA  
DEFINITIONVM PHILOSOPHICARVM  
AVTORE  
M. IO. MARTINO CHLADENIO.



LIPSIAE  
APVD LANCKISIOS HAEREDES.

1742.

LOGICA PRAGATICA  
AT ALEXANDRIOS  
ABZIBOPI  
MUSICO ET MUSICOLOGICO INVENTO  
COMITIUS VASARI  
VANITY  
ACADEMIAE  
MUSICOLOGICAE  
DILECTIONIS  
ALIAS  
OMNIBUS CHALAE  
M. IO. MARCIANO  
T. 124  
ZEPPELIAN 20120101 HANNOVER  
14



## LECTORI

S.

Cum baud ita pridem le-  
tissima quædam Philo-  
sophiæ navantium com-  
militonum sodalitas peramanter a  
me postularit, ut scholam Logi-  
cam, in qua vires suas pericli-  
tarentur, ipsis aperirem, artis-  
que cogitandi, cuius tractandæ cu-  
pidi essent, monstratorem me præ-  
berem, laudatissimæ eorum aut de-  
esse voluntati, aut segniter obtem-  
perare nolui. Annitenti igitur mi-  
bi, ut quod novum bis exercita-  
tionibus Logicis adjumentum affer-  
rem, utilitatis plenissimum vi-

A 2

sum

sum est, si totam Problematum,  
 quibus praxis Logica continetur,  
 seriem a Theoria penitus sejunctam  
 commilitonum conspectui subjicerem,  
 eo nempe consilio, ut omnem labo-  
 rum, quibus defungendum ipsis erit,  
 varietatem, uno obtutu comprehen-  
 derent. Atque hoc quidem e re  
 discipulorum meorum fore, de com-  
 muni dissentium more conjicio. Ut  
 enim cursores ab ipsa stadii porta  
 intento oculo metam prospectant,  
 ac, quæ disjunctissima sunt, initium  
 viæ animo suo cum fine conjungunt,  
 sic plerique omnes, qui disciplinæ  
 cuiusdam cancellos ingrediuntur,  
 nisi qui forte tardiores fuerint,  
 non magis rei, quam adeunt, novita-  
 te, quam cognoscendi exitus cupi-  
 ditate commoventur. Neque etiam si  
 mea cohors artis, quam tradere polli-  
 citus sum, delineationem paulo, quam  
 in cæteris artibus fieri solet, cupi-  
 dius desiderarent, magnopere mira-  
     rer,

rer, cum Collegii Logici Practici,  
non æque ac reliquarum prælectio-  
num Academicarum rationes sint  
pervulgatæ. Quin nec omnia, quæ  
in parte Logicæ practica tradun-  
tur, ad scholas nostras pertinent,  
sed ea tantum, quæ hinc per vires  
auditorum, hinc per limites tempo-  
ris his scholis destinati fieri possunt.  
Quare selectus Problematum Logi-  
corum estadbibendus, cuius ordi-  
nem totamque seriem exiguis hic  
libellus optime declarabit. Omne  
tamen rationis nostræ exercitium  
paucis his propositionibus compre-  
bendi contendō, quandoquidem cæ-  
tera, quæ ex Logicorum præceptis  
peragenda sunt, non nisi sæpius re-  
petitam borum Problematum pra-  
xim desiderant. Si quis enim omnem  
notionum inventionem, & variatio-  
nem, demonstrandique artem recte  
calleat, hunc etiam majora illa

*præstare, libros conscribere, libros  
 dijudicare, docilem animum convin-  
 cere, tum etiam in certamen cum ad-  
 versario non sine victoriæ spe descen-  
 dere, posse nullus dubito. Ad hæc  
 igitur tam varia, ac tanta, prospero  
 successu tractanda si instituti fue-  
 rint auditores, quid quæso ultra  
 babent, quod a magistro artis re-  
 quirant? Sollicitum tamen me, ut  
 sufficientia præcepta meis traderem,  
 non minor cura occupavit, ut apta  
 ipsorum ingenio ac vera præcepta  
 proponerem. Evidem cum Illustris  
 Wolfius universam Praxin Logi-  
 cam ita copiose atque distincte in  
 Logico Systemate explicatam dede-  
 rit, ut quod addi possit, vix reperia-  
 tur, nihil aliud factu opus esse ini-  
 tio mibi videbatur, quam ut ex am-  
 plissimo demonstrationibusque un-  
 dique munito opere Problemata  
 excerpterem, atque in bujus libelli  
 angu-*

*angustias coarctarem: rem vero ac-*  
*curatius pensitando, paulo plus confi-*  
*ciendum laboris mibi superesse intel-*  
*lexi, non quidem ut summi Viri re-*  
*gulas augerem aut emendarem, quod*  
*ne fieri possit, doctrinæ suæ magni-*  
*tudine & ubertate effecit, sed ut ea,*  
*quæ exercitiis nostris Logicis in-*  
*servitura sunt, a sublimioribus præ-*  
*ceptis sejungerem. Sunt enim in istis*  
*quædam problemata, quæ nisi ab eo,*  
*qui animum varia eruditione jam*  
*refertum, multoque usu jam suba-*  
*etum habet, ad usum transferri*  
*non possunt. Mibi vero, pro scopo*  
*bujus scriptionis, Problemata intra*  
*eos terminos sunt continenda, ut,*  
*quæ fieri posse doceo, ea a meis di-*  
*scipulis fieri possint. Hinc nonnulla*  
*Problemata ita sunt formata, ut in-*  
*ventori veritatum parum, ad inve-*  
*niendi habitum contendenti pluri-*  
*mum utilitatis afferant. Exempla*

A 4 præ-

*præceptis adjungere, ne prolixior  
liber redderetur, nolui, huic rei  
unice intentus, ut Auditores mei  
totius exercitationis, quam me mo-  
nitore aggredientur, ideam animo  
suo complectantur. His igitur ut  
præcepta hæc nostra nec numeronec  
mole turgida, ad perficiendum ratio-  
nis usum profint, pluresque litera-  
rum cultores in simile cognitionis  
solidioris studium accendant, since-  
ro voto, in commilitonum commoda  
promovenda propensissimus exopto.*

*Lipsiæ d. XVI. Jun.*

*CICICCCXLII.*



LO-

LOGICA PRACTICA  
S E V  
PROBLEMATA  
LOGICA  
QVIBVS OMNE RATIONIS NOSTRAE  
EXERCITIVM CONTINETVR  
ORDINE NATVRALI DISPOSITA  
CVM RESOLVTIONIBVS.

\*\*\*\*\*

PROBLEMA I.

§. 1. *Propositionem datam convertere.*

R E S O L V T I O.

- I. Si propositio data sit universalis affirmans:  
1. convertatur per contrapositionem:  
2. convertatur simpliciter h. e. in aliam universalem affirmantem, si prædicatum propositionis datae sit definitio aut attributum proprium subjecti:  
3. convertatur per accidens, sive in particularem affirmantem.

## LOGICA PRACTICA.

II. Si propositio data sit universalis negans:

1. fiat conversio simplex: seu in aliam universalem negantem:
2. nec non conversio per accidens, seu in particularem negantem.

III. Si propositio data sit particularis affirmans, convertatur simpliciter, sive in particularem affirmantem.

### PROBLEMA II.

§. 2. *Investigare, in qua figura sit Syllogismus datus.*

#### RESOLVATIO.

I. Investigetur medius terminus.

II. Dispiciatur, quomodo sit dispositus medius terminus. Si enim medius terminus

1. est subiectum majoris & prædicatum minoris propositionis, Syllogismus est in prima figura:

2. si vero medius terminus est in utraque præmissa prædicatum, syllogismus est secundæ figuræ:

3. si denique medius terminus in utraque præmissa est subiectum, sive, cum in utraque præmissa subjicitur, syllogismus datus est tertiaræ figuræ.

PROBLE-

## PROBLEMA III.

**§. 3.** *Investigare, in quo Modo sit Syllogismus datus.*

## RESOLVTIO.

- I. Investigetur figura, in qua est Syllogismus datus. (*Probl. II.*)
- II. Investigetur singularum propositionum, quæ Syllogismum datum constituunt, qualitas & quantitas.
- III. Qualitas & quantitas cujusque propositionis denotetur per usitata signa:  
A. E. I. O.
- IV. Quaratur ex Terminis, quibus Modi syllogismorum denotantur, ille, in quo vocales per N. III. erutæ deprehenduntur. Terminus ille indicabit, in quo Modo sit syllogismus datus.

## PROBLEMA IV.

**§. 4.** *Syllogismum secundæ figuræ reducere ad primam figuram.*

## RESOLVTIO.

- I. Investigetur, in quo secundæ figuræ Modo sit Syllogismus datus. (*Probl. III.*)

II. Si

## LOGICA PRACTICA.

**II.** Si 1 est in Cesare aut Festino, major vertatur simpliciter. (*n. II. Probl. I.*) Si vero 2 est in Caonestres aut Baroco, major vertatur per contrapositionem. (*n. I. I. Probl. I.*)

### PROBLEMA V.

**§. 5.** *Investigare, quænam præmissa in Enthymemate dato adsit, quænam deficiat.*

#### RESOLV TIO.

- I.** Notetur conclusionis subjectum & prædicatum.
- II.** Notetur, an prædicatum, an vero subjectum conclusionis adsit in præmissa.
- III.** Si prædicatum conclusionis adest in præmissa, hæc est major propositio; si vero subjectum conclusionis adest in præmissa, hæc est minor propositio.
- IV.** Si major propositio adest, deficit minor; si vero minor propositio adest, deficit major propositio.

### PROBLE-

## PROBLEMA VI.

**§. 6. Enthymema datum, cuius conclusio est propositio universalis, ad perfecti Syllogismi formam reducere.**

## RESOLVATIO.

- I. Investigetur, an præmissa, quæ in Enthymemate adest, sit major, an minor propositio. (*Probl. V.*)
- II. Si major adest, minor ex coniunctione medii termini & minoris termini formetur, & quidem
  1. si conclusio est affirmativa, minor quoque fiat affirmativa:
  2. si conclusio & major propositio sint negativæ, minor fiat affirmativa:
  3. si conclusio negativa, major vero affirmativa sit, minor fiat negativa:
- III. Si minor adest, major propositio efficiatur ex coniunctione majoris termini cum medio termino, ea lege, ut
  1. si conclusio sit affirmativa, major quoque fiat affirmativa:
  2. si conclusio sit negativa & minor affirmativa, major fiat negativa:

3. si

3. si conclusio & minor propositio sint negativæ, major fiat affirmativa.

IV. Propositio invenienda semper universaliter concipiatur.

§. 7. Schol. 1. Quemadmodum propositiones singulares in doctrina Syllogistica ab universalibus non distinguuntur, ita Problemata ante proposita eodem modo resolvuntur, si pro *universali* propositione ponatur *propositio singularis*

§. 8. Schol. 2. Nullo in disciplinis tractandis habitu magis opus est, quam eo, quo de rebus meditationi nostræ oblatis, ex earum definitionibus judicamus, ita ut auditoterminal statim ejus definitio menti nostræ obversetur. Huic habitui comparando egregie inserviunt Praxes Logicæ in VI. prioribus Problematis expositæ: quandoquidem, cum in Figuram aut Modum alicujus syllogismi inquirimus, vel etiam ex datis Syllogismi partibus, eam quæ deest, efficimus, semper in conspectu habere debemus definitiones figurarum, modorum syllogisticorum, reliquorumque, qui in hac copiosi occurrunt, terminorum. Non igitur simplicem, sed duplicem, ex his praxibus, seu intellectus nostri actionibus, reportaturi sumus utilitatem.

PROBLE-

## PROBLEMA VII.

§. 9. *Ex data propositione formare consequentias immediatas.*

## RESOLVTIO.

I. Si propositio negativa universalis detur:

1. convertatur vel per conversionem simplicem, vel per accidens: (*n. II. Pr. I.*)

2. Substituantur propositiones æquipollentes.

II. Si propositio universalis affirmans detur:

1. convertatur per contrapositionem: (*n. I. I. Probl. I.*)

2. convertatur simpliciter, positis conditionibus (*n. 2. II. Probl. II.*) enarratis:

3. convertatur per accidens: (*n. 3. I. Probl. I.*)

4. quadrantur propositiones æquipollentes.

## PROBLEMA VIII.

§. 10. *Ex data propositione judicia discursiva five conclusiones formare.*

## RESOLVTIO.

I. Propositio data sumatur loco minoris propositionis.

II. In

- II. In memoriam revocetur propositio universalis, cuius subjectum sit prædicatum propositionis datæ, hæcque majoris loco sumatur.
- III. Ex his propositionibus formetur conclusio.
- IV. Si plures conclusiones inuenire cupias, aut plures propositiones (*per. n. II.*) in memoriam sunt revocandæ, aut ex inventa conclusione novæ conclusiones, modo ante præscripto, ulterius sunt inveniendæ.

## PROBLEMA IX.

*§. ii. Ex data definitione formare consequentias immediatas.*

## R E S O L V T I O.

- I. Definitum sumatur pro subjecto & tota definitio loco prædicati; sic formabitur propositio universalis.
- II. Propositionis per N. I. inventæ consequentiæ immediatæ formentur. (*n. II. Probl. VII.*)
- III. Quæ in definitione continentur, notiones partiales, singulæ definito, tanquam totidem prædicata tribuantur.

IV. Cu-

# LOGICA PRACTICA.

,

IV. Cujuslibet harum propositionum consequentiæ immediatæ formentur. (n. II.  
Probl. VII.)

## PROBLEMA X.

§. 12. *Ex data definitione conclusiones sive judicia discursiva formare.*

### RESOLV TIO.

- I. Ex definitione data formentur propositiones sive consequentiæ immediatæ. (Prob. IX.)
- II. Ex his consequentiis immediatis, ceu Aximatibus, judicia discursiva, sive conclusiones formentur. (Probl. VIII.)

§. 13. *Scholium.* Cum Corollaria sint propositiones ex definitione, vel propositione, mediante uno ratiocinio deductæ; Problema: *Ex data propositione Corollaria deducere:* a Problemate VIImo haud discrepat; quemadmodum hoc alterum; *E data definitione Corollaria formare,* cum Problemate IIIX. plane convenit.

B

PRO-

## PROBLEMA XI.

§. 14. *Probationem datæ cuiusdam Theoreticæ propositionis invenire.*

## RESOLVTIO I.

I. Si directe probanda fit propositio data:

1. Propositio probanda sumatur pro conclusione:

2. In memoriam revocentur propositiones, quarum prædicatum est prædicatum propositionis datæ:

3. Ex his propositionibus feligatur illa, cuius subjectum esse potest prædicatum subjecti propositionis datæ:

4. Hæc inventa propositio sumatur loco majoris:

5. Inveniatur ex conclusione & majori, propositio minor. (*N. II. Probl. VI.*)

Quibus rebus factis propositio data est conclusio Syllogismi, adeoque probata est.

## RESOLVTIO II.

1. Propositionem probandam sumas pro conclusione:

2. In memoriam revoces omnes propositiones, quarum subjectum est subjectum pro-

propositionis datæ: sive in memoriam  
revoce omnia prædicata reliqua subje-  
cti propositionis datæ:

3. Inquiras, an per quoddam horum præ-  
dicatorum prædicatum propositionis  
datæ determinetur:
4. Hanc propositionem pro minori sumas,  
& exinde majorem invenias (*n. III.  
Probl. VI.*)

II. Si indirecte probanda sit propositio data:

1. ejus contradictorie opposita quærenda:
2. hæc vel minoris loco sumatur, & exinde  
conclusiones formentur, (*Probl. VIII.*)  
usque dum incidas in propositionem  
falsam:
3. vel majoris propositionis loco sumatur,  
assumtisque propositionibus minori-  
bus, iterum conclusiones formentur,  
usque dum deprehendas propositionem  
falsam.

Sic ostensa falsitate præmissæ, demonstra-  
tur veritas contradictorie oppositæ, h. e. pro-  
positionis probandæ.

## PROBLEMA XII.

§. 15. *Propositionis Theoreticæ datæ demonstrationem directam condere.*

## RESOLVTIO I.

- I. Propositionem demonstrandam sumas pro conclusione, ejusque probationem invenias; (Probl. XI.) quo pacto nancisceris syllogismum.
- II. Syllogismi hujus inventi major propositio aut sit axioma, aut veritas alibi demonstrata; nisi forte unico Syllogismo tota majoris probatio confici queat.
- III. Si minor hujus syllogismi est propositio indemonstrabilis, demonstratio jam est perfecta: si vero demonstrabilis est; nova ejus probatio invenienda (n. I. Prob. XI) sive prosyllogismus inveniendus est; ejus tamen conditionis, ut major propositio iterum sit aut axioma, aut veritas alibi demonstrata.
- IV. Prosyllogisini minor propositio, si iterum sit demonstrabilis, iterum per inveniendum Prosyllogismum probanda est,

V. id.

V. idque eo usque continuandum est, dum devenias ad propositionem indemonstrabilem, h. e. quæ sit, vel consequentia immediata ex definitione subjecti deducta, vel experientia indubitata.

§. 16. *Schol.* Quia propositiones falsæ demonstrari non possunt, inanem quis operam in invenienda propositionis falsæ demonstratione perderet. Quapropter propositio, cuius demonstrationem quærvis, semper debet esse vera. At unde cognosces veritatem propositionis nondum demonstratæ, nisi autoritate viri, qui demonstrationem in promptu quidem habet, sed studio eam silentio premit, ut tuum inveniendæ demonstrationis studium excitet? Quare praxis hujus problematis hanc maxime utilitatem habet, ut animus in demonstrandi facultate fiat confirmator, aut, si hoc habitu jam polleas, in certo tamen veritatum genere majorem notionum veritatumque familiaritatem acquiras. Illi vero, qui systema veritatum universalium jam in promptu habent, saepè per definitionem conspicunt e longinquo conclusionem quandam, ejusque veritatem, etiamsi demonstrationem nondum distincte animo concipiant: in hos igitur convenit illa problematis nostri resolutio, qua Ill. *Wolfius*

utitur in Logica Maj. §. 551. digna certe, quam mente sua condant, qui ad perfectum demonstrandi habitum contendunt, ac proinde a nobis minime prætereunda.

## RESOLVATIO II.

- I. Ex definitione subjecti formetur propositio, (*n. I. Probl. IX.*) velex ejus partibus plures (*n. III. Probl. IX.*) & ex his quælibet, sumatur tanquam minor syllogismi formandi.
- II. Quodsi de eodem subjecto prostent axioma, vel propositionis jam demonstrata, non attenta definitione, hæ quoque subinde sumi possunt, ut propositiones minores Syllogismorum.
- III. Inventa jam propositione minori, in memoriam revocetur propositio alia, quæ terminum cum ea communem habet, atque majorem Syllogismi constituat. Sic inferatur conclusio. Quodsi (*vi n. 1. vel 2.*) plures propositiones minores fuerint formatæ, plures quoque hac ratione elicuntur conclusiones.
- IV. Vel singulæ sumantur ut præmissæ novorum Syllogismorum, vel plures simul spectentur, ut notio complexa, formeturque inde propositio, quæ sumitur ut præmissa novi Syllogismi.

## V. Hisce

V. Hisce præmissis jungatur alia, aliunde nota, inferaturque inde conclusio. Atque hac ratione, adhibitis sicubi opus fuerit consequentiis immediatis, progrediendum, donec aliquo Syllogismo inferatur conclusio, quæ eadem est cum propositione demonstranda.

## PROBLEMA XIII.

§. 17. *Judicia intuitiva bisque respondentes propositiones de dato quodam individuo formare.*

## RESOLVATIO.

I. Attentio dirigatur.

1. ad ea quæ in objecto dato continentur:
2. ad ea quæ illud circumstant & ambiunt:
3. ad ea, quæ ad objectum datum quocunque modo referri possunt.

II. Ea quæ observavimus, ut prædicata objecto tanquam subiecto tribuantur.

## PROBLEMA XIV.

§. 18. *Judicia intuitiva negativa, bisque respondentes propositiones de dato quodam individuo formare.*

## RESOLVATIO.

I. In memoriam revocentur, quæ aliis ejus speciei individuis inesse observasti, aut ab aliis

aliis obſervata eſſe noſti, & ſi quæ ex hiſ in-  
diuiduo dato non iuſtunt, adnotentur:

II. Ea quæ objecto dato non iuſſe deprehen-  
dis, de objecto dato nega.

§. 19. *Scholium.* Si individuum datum  
ad aliquam rerum ſpeciem pertineat, cujuſ  
Theoriam, vel ad minimum notionem diſtin-  
ctam partes ejus enarrantem, habes: hac no-  
tione ceu directrice uti potes in judiciis in-  
tuitivis ordine formandis. Cum enim multitu-  
dine rerum obſervandarum mens facillime  
obruatur, hoc ne accidat, rei partitione ad-  
hibita caveri potest, quam recte iuſtituere ex  
generali rei notione diſcimus. Quo artificio  
utuntur JCTi, qui Acta judicialia ad ſen-  
tiam ferendam ſibi transmiſſa non ſecundum  
foliorum ordinem legunt, ſed potiores partes,  
in Theoria Proceſſus judicialis indicatas, pri-  
mum iuſpiciunt, quibus cognitis post minima  
quæque, prouti res poſtulat, ſcite expro-  
munt & rerum ſingularum momenta facillime  
dijudicant. Eodem compendio in omni  
rerum ſingularium, ſive individuorum contem-  
platione uti nobis licet, ſi notiones genera-  
les in promptu habeamus, & ad uſum tranſ-  
ferre ſciamus.

PRO-

## PROBLEMA. XV.

**§. 20.** *Individui dati descriptionem vel (sita appellare placet,) definitionem formare.*

## RESOLVATIO.

- I. De objecto sive individuo dato formentur judicia intuitiva quam plurima: (*Probl. XIII. V[IV.]*)
- II. Ex prædicatis judiciorum intuitivorum, quæ (*per n. I.*) formasti, seligantur tot, quot junctim sumtæ nulli alii rei conveniunt.
- III. Hæc prædicata, quæ nulli alii enti conveniunt, in formam notionis colligantur.

## PROBLEMA XVI.

**§. 21.** *Notionem quandam univ-  
salem, sive notionem speciei cuius-  
dam a posteriori formare.*

## RESOLVATIO.

- I. Si notionem qualemcumque, et si confusam, desideras, nulla re factu opus est, quam ut res diversas, sensu vel interno, vel externo perceptas, diu contempleris, omnemque

tuam attentionem in illas res defigas, sic sponte sua tibi sese offeret similitudo quædam in illis rebus obuia, quam memoria retinere & termino denotare debes.

II. Si vero notionem aliquam universalem distinctam desideres:

1. res diversas consideres, & de singulis judicia intuitiva formes. (*Probl. XIII. XIV.*)

2. Ex judiciis intuitivis formatis, prædicta, si quæ occurrunt, similia eruas.

3. Hæc prædicata simul intellectui repræsentata notionem universalem distinctam constituent, quæ tenenda, terminoque idoneo denotanda est.

§. 22. *Scholium.* Quandoquidem omnis nostra cognitio scientifica, & qui latissime patet, rationis usus, in notionum universalium apta formatione, ac scita ad novas inveniendas notiones translatione consistit, nemo tractandis scientiis, nedum docendis amplificandisque, aptus judicari potest, nisi qui habitum notiones abstractas formandi variandique sibi comparauit. Hoc itaque Problema cum sequentibus Problematis, omnem rationis nostræ actionem distincte docet, sive in inveniendis novis notionibus, sive in iis, quibus jam utimur

mur, ad definitionum dignitatem evehendis, sive denique in conclusionibus ex definitionibus deducendis versemur. Quare hanc praxin Logicam nunc tradi scias, in qua vel maxime intellectus exercendus est, nisi, cum ad meditationem accesseris, vagus errare, quam recto tramite incedere malis.

## PROBLEMA XVII.

§. 23. *Notionem datam universalem  
a posteriori formatam confusam,  
reddere distinctam.*

## RESOLV TIO.

- I. Attentio ad nonnulla individua, quæ datam notionem confusam continent, dirigatur.
- II. De singulis his individuis judicia intuitiva formes, non tamen nisi talia, quæ vi notionis confusæ ad hanc pertinere intelligis. Quippe in judiciis intuitivis multa continentur quæ ad notionem speciei non pertinent.
- III. Ex his judiciis intuitivis de diversis individuis formatis, seligantur ea, quæ sunt similia: &
- IV. Eorum prædicata pro notione distincta datæ speciei sumantur.

§. 24.

**§. 24. Scholium.** Si præceptis hujus resolutionis obtemperes, notionem distinctam datæ speciei haud dubie consequeris, nondum tamen, nisi fortuna tibi mirifice faveat, definitionem. Etenim notio tua ex hac formula formata plerumque hinc erit abundans, hinc incompleta. Cujusmodi notionem alterutro, aut utroque vitio laborantem si ferre nolis, medelam, non quidem facilem, certam tamen paratam esse scias, cuius arcana sequentia Problemata revelabunt.

### PROBLEMA XVIII.

**§. 25. Notionem universalem confusa posteriori formatam completam efficere.**

#### RESOLV TIO.

- I. Notio data fiat distincta! (*Probl. XVII.*)
- II. In memoriam revoces notiones oppositas & affines, sive eas quæ multum similitudines cum data notione habent.
- III. Inquiras an in notione (*per n. I.*) formatâ notæ contineantur, per quas notio data ab omnibus oppositis & affinibus notiōibus distingui queat.

IV. Si

- IV. Si per notionem tuam distinctam res data ab opposita & affini quadam redistinguinequeat, iterum judicia intuitiva formanda sunt, (*n. i. II. Probl. XVI.*) & nova determinatio notioni jam inventæ adjicienda est, quæ affini aut oppositæ notioni, a qua distingui non potuit, non conveniat.
- V. Si tandem notio distincta tua ad rem datam ab omnibus affinibus & oppositis distinguendam sufficiat, Problemati satisfactum esse scias.

## PROBLEMA XIX.

*§. 26. Notionem universalem, a posteriori formatam datam, quam distinctam reddidisti, a superfluis liberare, sive efficere, ne ea sit abundans.*

## R E S O L V T I O.

- I. Omnia, quæ in memoriam revocare potes, exempla, quibus notio data convenire debet, attente considera, & inquire, an in singulis omnes notæ in notione tua distincta comprehensæ reperiantur. Quod si enim quædam nota in uno & item altero exemplo non reperiatur, superflua ea est, ac

II. ex

- II. Ex notione tua distincta eliminanda:  
 III Quæ jam supersunt notionis tuæ distinctæ partes, inter se comparandæ sunt, ut appareat, an forte una per aliquam cæterarum determinetur: quod si contingat,  
 IV. Ea determinatio, quæ per aliquam cæterarum determinetur, itidem e notione eximenda est.

## PROBLEMA XX.

§. 27. *Notionis universalis a posteriori formatæ, quæ confusa est, definitionem condere.*

## RESOLVATIO.

- I. Rei definiendæ notionem distinctam quæras. (*Probl. XVII.*)  
 II. Notionem hanc distinctam porro completam reddas. (*Probl. XVIII.*)  
 III. Postea eandem a superfluis libera. (*Probl. XIX.*) Sic determinationes residuæ, notionem distinctam atque determinatam, hoc est definitionem, constituunt.

§. 28. *Scholium.* Haud raro cum definitionem rei a posteriori cognitæ, ex formula hujus Problematis efficere conamur, in ejusmodi

di terminos & notiones per judiciorum intuitivorum formationem (*n. II. Probl. XVII.*) incidimus, quæ ad illam definitionum concinnitatem reduci nequeunt. Quod si contingat, notiones partiales inter se comparandæ sunt, ac inquirendum, an quædam junctim sumtæ notionem aliunde nobis notam constuant. Hujusmodi enim notio, quæ pluribus æquivalet, his præferenda, & in definitionem condendam adoptanda est.

## PROBLEMA XXI.

**§. 29.** *Notionis universalis a posteriori cognitæ definitionem foecundam invenire.*

## RESOLVATIO.

- I. Cum notionem datam distinctam reddimus, id quod fieri debet, (*n. I. Probl. XX.*) opera danda est, ut prædicata deprehendamus, quorum Theoriam in Systemate nostro habemus.
- II. Cum notionem distinctam a superfluis liberamus, (*n. III. Probl. XIII.*) opera danda est, ut eas notiones partiales retineamus, quarum Theoria in Systemate nostro prostat.

III. Aut

**III.** Aut cum plures notiones in compendium unius notionis mittimus, (§. 28.) ejusmodi notio investiganda est, quæ per Theoriam jam alibi explicata deprehenditur.

**§. 30. Scholium.** Difficillimum sane est & vix ullis regulis satis explicandum *definiendi artificium*, si nempe non qualemcunque, sed concinnam, determinatam, atque foecundam rei vulgo jam cognitæ notionem eruere velis. Hæc enim, quæ successive agenda esse docuimus, ubi ad praxin deveneris, simul agenda sunt, ita ut, dum notionem completam efficere cupis, caveas, ne quid superfluum admisceas; dum vero superflua resecas, ne quid bonæ notæ radas. Sic cum in contraria studia animus distrahitur, sexcentæ notiones tantis animo obversantur, quas inter si illa, quam desideras, omni ex parte exasciata, apparet, fortunæ id non minus quam arti tribendum est, quemadmodum omne id, quod in quovis rerum genere perfectum est, ex præceptis artis facilius judicatur, quam efficiatur. Regulæ tamen intellectum præparant, & confirmant, ut etiam id, quod supra regulas positum est, efficere valeat.

PROBLE-

## PROBLEMA XXII.

§. 31. *Ex data definitione Theorema invenire.*

## RESOLVATIO.

- I. Ex definitione data conclusiones formentur: (*Probl. X.*) quæ erunt Corollaria. (§. 13.)
- II. Dispiciatur an Corollaria nonnulla ita sint comparata, ut duorum vel plurium prædicata ad certum finem in unum prædicatum conjungi, & ex his pluribus conclusionibus unica fieri possit. Si enim subjecto istorum Corollariorum tribuas notionem hanc compositam, tanquam prædicatum, habebis Theorema: aut, si mavis:
- III. Ex hac propositione, (*per Probl. X.*) deducas conclusiones, quæ ipsæ quoque erunt Theorematum.

§. 32. *Scholium. Theorema enim, si strictius vocis, notioni qua Mathematici utuntur, inhæreamus, ejusmodi propositionem Theoreticam notat, quæ aut plurium propositionum vim habet, aut ad minimum per duas pluresue ratiociniorum series probanda est. Sic Theorematis Pythagorici demonstratio eandem ratiociniorum seriem bis applicata.*

C

catam

catam continet: Theorematis autem de angulo ad centrum, quod duplus sit anguli ad peripheriam, demonstratio diversas ratiociniorum series continet. Hæc igitur Theorematum singularis ratio nos commovit, ut, doctrinam de conclusionibus ex definitionibus deducendis, non uno, sed binis Problematis comprehendenderemus; quorum prius nihil fere in praxi difficultatis habet, alterum vero paulo plus diligentia & artis desiderat.

## PROBLEMA XXIII.

**§. 33. Ex data definitione ejusque Theorematibus, Problemata invenire.**

## RESOLVATIO.

- I. Theorematata, (non plane neglectis Corollariis) inter se comparentur, ut appareat, an in iis exponantur qualitates aut partes, quæ ad entis cuiusdam existentiam requiruntur:
- II. Ex Theorematibus illa quoque notentur, in quibus ostenditur, quæ accidentia, sub quibus circumstantiis, in ente comprehendantur.

III. En-

III. Entis istius productio, vel accidentis illius productio, propositione Practica exprimantur.

## PROBLEMA XXIV.

§. 34. *Problematis ex Theorematibus cognitis inventi resolutionem invenire.*

## RESOLVATIO.

- I. Ex Theorematibus ad objectum datum spectantibus, ea considerentur, quæ determinations ad existentiam dati objecti necessarias explicant.
- II. Ea, quæ ad existentiam rei requiruntur, sigillatim exponantur,
- III. Eo quidem ordine, quo unum, facto altero, facilius fieri potest.

§. 35. *Scholium.* Erit forsitan, qui Problema hoc generalioribus terminis conceptum, atque sic formatum mallet: Problematis cujuscunque dati resolutionem invenire. Etenim si eo res Logicæ deduci possent, ut, Problematis cujuscunque resolutionem certa formula comprehensam haberemus, ex cuius præscripto resolutionem quærens falli non

C 2

posset;

posset; nihil non in potestate nostra haberemus. Ex vilissimo metallo aurum conflare: circulum quadrare: longitudinem maris determinare, tunc forent facillima, quæ nunc fere impossibilibus annumerantur. Hæc enim quantumvis magna promittere videretur Problema nostrum, in quo versamur, si hac formula comprehensum esset: datum Problema resolvere. Cujus vanitatis suspicionem ut amoveremus, nec plura, quam ope regularum Logicarum præstari possunt, promitteremus, propositionem ita limitavimus: Problematis ex Theorematibus inventi resolutionem condere: Etenim Problematis ex Theorematibus a te inventi resolutio in tua potestate est: non enim rem fieri posse ex Theorematibus concluderes, & ne quidem conjiceres, nisi quomodo res fieri possit, confuse, vel subobscurius conjiceres. Regulæ autem id efficiunt, ut, quod confuse & subobscurius cognoscis, clare atque distincte proponere discas.

PROBLE-

## PROBLEMA XXV.

§. 36. *Ex datis notionibus specierum formare notionem generis.*

## RESOLVTIO.

- I. Investigentur datarum specierum notiones distinctæ. (Probl. XVII.)
- II. Dispiciatur quænam ex his determinacionibus diversarum specierum, sint eadem, quænam diversæ.
- III. Omissis determinationibus dissimilibus, quæ sunt eadem in utraque notione, in unam notionem conjungantur.

## PROBLEMA XXVI.

§. 37. *Ex data una specie notioem alicujus generis formare.*

## RESOLVTIO.

- I. Speciei datæ notio distincta investigetur. (Probl. XVII.)
- II. Dispiciatur num notio aliqua partialis sub genere quodam nobis noto comprehendatur.
- III. Genus illud pro notione partiali substituatur.

## PROBLEMA XXVII.

§. 38. *Ex data notione generis notionem speciei, vel notiones variarum specierum formare.*

## RESOLVATIO I.

- I. Generis dati notio distincta inveniatur.  
(*Probl. XVII.*)
- II. Dispiciatur an notionis cuiusdam partialis in notione generis dati comprehensæ, species quædam nobis notæ sint.
- III. Pro notione partiali, cuius species investigavimus, substituatur una ex his speciebus, quæ notioni datæ non repugnat. Sic nova notio orietur, termino suo denotanda.
- IV. Si singulæ species sub notione partiali comprehensæ nihil contineant, quod notioni generis dati repugnet, tot notiones specierum ex genere dato formari poterunt, quot notio partialis species sub se comprehendit.

## RESOLVATIO II.

- I. Distinguuntur in notione generis data, ea quæ determinata sunt, ab iis, quæ indeterminata deprehenduntur.
- II. Quæ

- II. Quæ indeterminata deprehenduntur, ita determinentur, ut iis, quæ jam determinata sunt, non repugnant.
- III. Quot diversis modis hæc ratione determinari possunt, tot species obtinentur sub genere dato comprehensæ.

## PROBLEMA XXVIII.

§. 39. *Ex data notione speciei formare notiones specierum aliarum.*

## RESOLVTIO I.

- I. Si nondum constet genus sub quo species data comprehenditur, genus inveniatur: (*Probl. XXVI.*) quod
- II. cum fiat per substitutionem notionis genericæ pro quadam partiali specifica; (*n. II. Probl. XXVI.*) genericæ hujus notionis species nobis notæ in memoriam revocentur, & pro differentia specifica notionis datæ substituantur.
- III. Si ex notione speciei datæ plures generum notiones formare valeas, permultas

C 4

quo-

quoque aliarum specierum sive cospecie-  
rum notiones investigare poteris.

## R E S O L V T I O II.

- I. Investigemus quænam sint ea, quæ, cæteris manentibus iisdem, diversimode determinari possunt.
- II. Hæc aliis modis determinemus, quam in notione data determinata sunt, ita tamen ut determinationes istæ non repugnant iis, quæ in notione data non immutantur.

§. 40. *Scholium.* Posterior Problematis resolutio iis terminis concepta est, ut inventiis notionibus in Mathesi eximie inseriat; præsertim in Mathesi pura, ubi, quid in data quantitatis cuiusdam notione determinatum aut indeterminatum sit, nemini non principiis Algebraicis imbuto patet. In re vero philosophica atque reliquis artibus inventio cospecierum felicius faciliusque procedet, si prioris resolutionis formam in conspectu habeamus. Idem hoc discrimen in applicatione facile observandum, binas resolutiones Problematis XXVII. §. 38. datas intercedit.

PRO-

## PROBLEMA XXIX.

§. 41. *Theoriam datæ notionis inventire.*

## RESOLV TIO.

- I. Datæ notionis definitio formetur. (*Probl. XXI.*)
- II. Ex inventa definitione Corollaria & Theorematum deducantur, (*Probl. XXII.*) & demonstrantur, (*Probl. XII*)
- III. Inveniantur quoque Problemata, (*Probl. XXIII.*) cum suis resolutionibus (*Probl. XXIV.*)
- IV. Ex data notione, quæ pro genere sumi potest, species, five divisiones eruantur; (*Probl. XXVII.*) quibus iterum sua Corollaria atque Theorematum subjungi possunt.
- V. Singulis partibus scholia, si quæ lectori scitu necessaria judicas, interponas.
- VI. Omnia eo ordine tradas, ut antecedentia inserviant intelligendis sequentibus.

## PROBLEMA XXX.

**§. 42.** *Mutationis, quæ in ente quodam contingit, sive actio sit, sive passio, caussas invenire.*

## RESOLVTIO.

- I. Ante omnia caveas, ne in propositione formanda, qua mutatio facta describitur, vitium subreptionis committas; nisi frustra in invenienda caussa desudare velis.
- II. Danda est opera ut propositio sit determinata, ut appareat, quibus circumstantiis positis, mutatio eveniat.
- III. Hanc propositionem instar conclusionis sumas, cuius probatio directa est inveniendæ. Quare
- IV. Tentare potes an ex Problemate XI. (§. 14.) Syllogismum formare queas: aut
- V. Quia propositio Theorematis vim habere potest, (§. 32.) propositionis prædicatum est in suas notiones partiales resoluendum, quas forte singulas per regulas Problematis XI. probare poteris. Quorum si nihil succedat, indicio id esse scias, aut principia caussæ detegendæ tibi deesse, aut subreptitii quidpiam te in captanda experientia admisisse, aut propositionem, qua Phænonomenon

menon exprimitur, non satis esse determinatam.

§. 43. *Scholium 1.* *Caussas rerum cognoscere* nihil aliud est, quam rem a priori inspicere. A priori autem propositiones cognoscuntur, quando demonstrantur: Quare *Caussas Phænomeni indagare*, nihil aliud est, quam propositionem, qua Phænomenon exprimitur, ex notioribus propositionibus, vel quo omnia tandem redeunt, ex definitionibus demonstrare. Quia vero propositiones demonstrandæ aut sunt Corollaria aut Theorematæ: Problema de detegendis rerum caussis idem est cum eo, quo Theorematis aut Corollarii demonstrationem invenire doceamus. Vnde facili negotio veritas nostræ resolutionis ostendi posset, nisi demonstrationes omittere, pro fine & limitibus nostræ tractationis consultum duceremus.

§. 44. *Scholium. 2.* Nolle tibi quantumvis in praxi hujus Problematis exercitato spondere, te cujuscunque Phænomeni, etiam in abstracto considerati, caussas detecturum esse. Plus enim ad inventionem caussarum in casu speciali requiritur, quam regularum generalium cognitio: Nempe 1) ut Phænomenon sine

sine omni subreptionis vitio inspicias, a quo non facile nobis cavemus: 2) ut Phænomenon propositione determinata exhibeat: ita ut adsit determinans & determinatum. 3) ut principia, sive præmissæ demonstrationem ingredientes tibi jam ante notæ sint. Hæc vero singula cum non semper sint in tua potestate, facile fieri utique potest ut in caussarum scrutatione hæreas. Ergo, si declinationem acus Magneticæ, si electricitatem corporum, si elevationem fluidorum in tubulis capillaribus ultra libellam, ex caussis suis explicare non possumus, id non defectui regularum Logicarum, sed aliis intellectus nostri tenebris tribuendum est.

## P R O B L E M A    XXXI.

*§. 46. Termini technici, quo quis Autor in libro suo, nulla definitione adhibita, usus est, notionem distinctam & definitionem invenire.*

## R E S O L V T I O.

I. Si autor *exempla* afferat, quibus notionem termino technico respondentem inesse docet, ex comparatione exemplorum primum no-

notionem confusam rei termino denotatæ acquirere potes, quam deinde distinctam (*Probl. XVII.*) efficere, imo ad definitio-  
nis formulam revocare potes, eo modo,  
quem ante (*Probl. XX.*) ostendimus.

II. Quod si porro Autor rei termino deno-  
tatæ affectiones, aut in descriptione sua,  
quam forte dedit, aut alibi, aliud agendo,  
commemoravit, hæ affectiones sparsim pro-  
latæ

1. in unum colligendæ &
2. inter se comparandæ sunt, ut appareat,  
quænam per cæteras determinentur:
3. ex determinationes notandæ sunt, quæ  
per cæteras non determinantur, sed cæ-  
terarum rationem in se continent:
4. hæ determinationes tantisper pro de-  
finitione sumtæ, cum notionibus affini-  
bus comparandæ, ut appareat, an suffici-  
ant ad rem ab omnibus aliis distinguen-  
dam: si enim sufficient huic fini, defi-  
nitionem jam habes:

5. Sin

5. Sin vero non sufficient ad rem ab omnibus aliis distinguendam; exempla inspicienda sunt, (*per n. I.*) & ex his nova determinatio invenienda, quemadmodum (*Probl. XX.*) ostendimus.

§. 47. *Scholium.* Si quid difficile, certe hoc est, termini non definiti justam notionem invenire. Pleni tamen sunt veterum Libri, præsertim Metaphysici, hujusmodi terminorum; quare hanc rem minime prætereundam, sed idoneis regulis, quantum fieri potest, includendam existimavimus.



SE-

## SERIES

## PROBLEMATVM.

- I. Propositionem datam convertere. §. 1.
- II. Investigare in qua figura sit Syllogismus datus. §. 2.
- III. Investigare in quo Modo sit Syllogismus datus. §. 3.
- IV. Syllogismum secundæ figuræ reducere ad primam figuram. §. 4.
- V. Investigare quænam præmissa in Enthymemate dato adsit, quænam deficiat. §. 5.
- VI. Enthymema datum, cuius conclusio est propositio universalis, ad perfecti Syllogismi formam reducere. §. 6.
- VII. Ex data propositione formare consequentias immediatas. §. 9.
- VIII. Ex data propositione judicia discursiva formare. §. 10.
- IX. Ex data definitione formare consequentias immediatas. §. 11.

X. Ex

X. Ex data definitione conclusiones, sive judicia discursiva formare. §. 12.

XI. Probationem datæ cuiusdam Theoreticæ propositionis invenire. §. 14.

XII. Propositionis Theoreticæ datæ demonstrationem directam condere. §. 15.

XIII. Judicia intuitiva affirmativa, hisque respondentes propositiones formare. §. 17.

XIV. Judicia intuitiva negativa, hisque respondentes propositiones de dato quodam individuo formare. §. 18.

XV. Individui dati descriptionem seu (si ita appellare placet,) definitionem formare. §. 20.

XVI. Notionem quandam universalem, sive notionem speciei a posteriori formare. §. 21.

XVII. Notionem datam universalem a posteriori formatam confusam, reddere distinctam. §. 23.

XVIII. Notionem universalem confusam a posteriori formatam reddere completam. §. 24.

XIX. No-

XIX. Notionem universalem a posteriori formatam, quam distinctam reddidisti, a superfluis liberare, sive efficere, ne ea sit abundantans. §. 26.

XX. Notionis a posteriori formatæ, quæ confusa est, definitionem condere. §. 27.

XXI. Notionis universalis a posteriori cognitæ definitionem foecundam invenire. §. 29.

XXII. Ex data definitione Theorematata invenire. §. 31.

XXIII. Ex data definitione ejusque Theorematibus Problemata invenire. §. 33.

XXIV. Problematis e Theorematibus cognitis inventi resolutionem invenire. §. 34.

XXV. Ex datis notionibus specierum formare notionem generis. §. 36.

XXVI. Ex data specie notionem alicujus generis formare. §. 37.

XXVII. Ex data notione generis, notionem speciei, & notiones specierum plurium, invenire. §. 38.

XXVIII. *Ex data notione speciei formare notiones specierum aliarum.* §. 39.

XXIX. *Theoriam datæ notionis invenire.*  
§. 41.

XXX. *Mutationis, quæ in ente quodam contingit, sive actio sit, sive passio, caussas invenire.* §. 43.

XXXI. *Termini technici, quo quis Autor in libro suo nulla definitione adhibita usus est, notionem distinctam & definitionem invenire.* §. 46.



MAN-

MANTISSA  
DEFINITIONVM PHILO-  
SOPHICARVM.

*SERIES est multitudo continua.*

Vulgo equidem *seriem* a *multitudine* non semper distinguimus. Voces tamen has non esse synonymous exinde patet, quod non semper sibi invicem substitui possunt, præsertim in Arithmeticis, ubi *series numerorum* vel quantitatum mirum quantum differt a *multitudine numerorum*, & quantitatum. Nempe omnis series suas regulas, suum sibi proprium ordinem, & in determinandis quantitatibus usum suum habet, multitudo numerorum, quæ series non est, non item. Lux vero hujus definitionis plenior pendet a notione *continui*, quam alibi definitione aperiemus.

\* \* \*

*ABSTRACTVM est qualitas entis instar entis percepta.*

Veteres Logici distinguebant terminos abstractos a concretis, ita ut *album* pro concreto, *albedo* pro abstracto, *doctus* pro concreto, *doctrina* pro abstracto haberetur. Etiamsi

D 2

vero

vero primo obtutu non appareat, quid inter album & albedinem, pulchrum, & pulchritudinem, si notiones respicias, discriminis intersit: quia tamen eandem rem non facile diversis terminis denotamus, abstracta a concretis aliquo, etsi subtiliori, modo differre debent: qui, ni fallor, in definitione est explicate propositus: cum enim qualitatem ut qualitatem alicujus rei concipimus, concretam notiōnem, quam habemus, concreto termino denotamus; cum vero, quod s̄epissime fit, qualitatem rei, per imaginationem, instar entis concipimus: notio sic mutata in abstractam abit, terminoque abstracto denotatur.

\* \* \*

**SENENTIA** est propositio cui plura & a diversis mentis facultibus producta judicia respondent.

Sententiosum dicendi scribendique genus tum Rethores permulti, tum superiori seculo DOMINICVS BVRSIUS regulis includere annis est. Definitionem vero sententiae, utpote principii, a quo omnis dictio sententiosa pendet, nemo dedit. Definitionis hujus utilitatem, & ad declarandam stili sen-

sententiosi indolem, opportunitatem copiosius  
explanataim legas in *dissertatione de sententiis*  
& *libris sententiosis*, Lipsiæ, anno superiori  
habita.

\* \* \*

*STATVS PHYSICVS* sunt  
*determinationes entis mutabiles in-*  
*ternæ, quatenus enti insunt.*

\* \* \*

*STATVS MORALIS* est sta-  
tus entis Physicus ad res exter-  
nas & futuras relatus.

Hæ notiones distinctæ reddendæ mihi  
erant, cum subobscurum SAMVELIS Pv-  
FENDORFI locum in *Jure Naturæ &*  
*Gentium Lib. I. c. I. §. 6. 7.* ubi statum ho-  
minum civilem cum spatio comparat, pecu-  
liari dissertatione illustrandum mihi sumfissem,  
quæ Vitebergæ anno 1734. sub titulo : *de*  
*statu civili cum spatio comparato*, edita, postea  
vero Opusculis Academicis p. 173. inserta est.

D 3

IN-

\* \* \*

**INSTRUMENTVM** est ens unum, cui multa media insunt: sive est multitudo mediorum in uno.

Definitiones hujus termini, quotquot hucusque apud Philosophos reperire mihi licuit, *instrumentum a medio* plane non distinguunt; quæ tamen sunt distinctissima. Multa enim, quæ ope mediorum efficienda sunt, nullis adhibitis instrumentis efficiuntur. Instrumenta nempe compendium saltem aut loci, aut temporis, aut virium afferunt, quæ alias nimis liberaliter a causa principali rei producendæ essent impendenda. Opportunitatis hujus, quæ in instrumentis elucet, causas definitio nostra exponit, ac proinde principia Mechanicæ Philosophicæ, sive Scientiæ instrumentorum simplicium, continet, quæ disciplina non minus scita esset jucunda, quam illa Mechanicæ pars, quæ in explicandis instrumentis compositis, & *Machinis*, versatur.

\* \* \*

**LOCVS CLASSICVS** est testimonium, ex quo propositio quædam data brevissime probatur.

Demon-

Demonstraciones, si quando ex testimoniis derivandæ sunt, id quod in Theologia, Jurisprudentia, ac omni Historia obtinet, e testimoniis classicis deducendas esse, omnes magno consensu autores docent, sed quis sit in unaquaque doctrina *locus Classicus*, nisi admota definitione, certo cognosci nequit. Hanc tamen qui dare annis sit, neminem novi præter Martinum Chemnitium, qui in *Hypomnematis suis de Vsu & utilitate Lororum Theologicorum*, quædam huc spectantia expromit. Hæc, quam dedimus, definitio dignoscendis testimoniis classicis a reliqua testimoniiorum turba sufficit. Adjungenda tamen est definitioni Theoria testimoniorum species distincte exponens, ut, quid unum altero præstet, generatim pateat. Partem hujus tractationis, eam nempe, quæ circa *testimonia Historica* versatur, paulo plenius exposui in der *Einleitung zur richtigen Auslegung vernünftiger Reden und Schriften*.  
§. 444. 445.

\* \* \*

*POSSESSIO MOMENTANEA* est rei usurpatio, qua posita  
alius eandem rem simul usurpare  
nequit. *Usurpare vero rem est eam*  
*ad utilitatem suam adjungere.*

Plura de hac notione vide in *Elementis Theorice Possessionis atque Dominii*, §. 10.  
quæ exstant in meis *Opusculis Academicis*.  
p. 205.

\* \* \*

*OCCUPATIO* est possessio momentanea prima.

vid. *Elem. Theor. Possessionis atque Dominii* §. 3.

\* \* \*

*POSSESSIO NATURALIS*  
est possessio momentanea continua,  
sive continuata.

Realitatem & veritatem hujus notionis  
evictam dedi in *Elementis Theor. possessionis*  
*atque Dominii* §. 3.

*RES*

\* \* \*

*RES VACVA est, quæ possessio-  
rem momentaneum non habet.*

vid. *Elementa Theorie possessionis atque  
dominii.* §. 4.

\* \* \*

*EVACVATIO est actio, qua pos-  
sessione naturali abstinere in-  
cipimus.*

vid. *Elementa Theorie P. & D.* §. 5.

\* \* \*

*TRADITIO est occupatio eva-  
cuationi continua, evacuantis & oc-  
cupantis consensu facta.*

vid. *Elementa Theorie P. & D.* §. 5.

\* \* \*

*NEXVS rerum est dependentia  
duarum pluriumue rerum mutua  
sive reciproca.*

Per hanc definitionem *nexus rerum* a *de-  
pendentia* distinguitur. Etsi enim hæphrases:

D 5

res

50 MANTISSA DEFINITIONVM

*res sunt inter se connexæ, & res a se invicem dependent, plerumque promiscue, ceu nihil discriminis habentes, usurpentur, quod ideo fit, quia dependentia rerum plerumque est mutua, satius tamen esse, salvo secus sentientium judicio, arbitramur, simplicem rerum dependentiam a mutua, seu reciproca, distinguere, huicque denotandæ *nexus* vocabulum destinare.*

\* \* \*

**TERMINVS VAGVS** est terminus cui plures, nec a se invicem distinctæ notiones respondent.

Terminos *vagos* ab *equivocis* distinguendos esse duco. *Terminus equivocus* est, cui plures notiones respondent. Has autem notiones aut a se invicem distinguimus, aut non a se invicem distinguimus. *Terminus equivocus*, cui plures notiones, & quidem a se invicem distinctæ, respondent, nihil detrimenti scientiis afferunt, cum in qualibet propositione, quam hujusmodi terminus ingreditur, hinc ex notione subjecti, hinc ex serie orationis plerumque pateat, quænam notio ex ipsis pluribus, quibus denotandis vox destinata est, hoc

hoc loco voci sit tribuenda. Ita *Libræ* alia notio in Mechanicis, alia in Astronomia tribuitur. Quia vero sunt notiones re ipsa mirum quantum diversæ, & a se invicem distinctæ, ullam ex hac vocis æquivocatione, dissensionem, aut disceptationem unquam esse natam non crediderim. Cum vero termino variæ, nec a se invicem distinctæ, notiones respondent, tunc, neque ipsi satis novimus quam notionem in casu speciali termino denotamus, nec alteri, quamnam voci tribuere debeat, significare possumus. Hinc propositiones in speciem contradictoriæ, hinc dissensus & Logomachiæ oriuntur. Hujusmodi voces sunt, *assumere*, *debere*, *convenire*, in multis definitionibus ab antiquioribus, quos scholasticos appellant, Philosophis adhibitæ, ob vagum tamen suum significatum non solum e definitionibus, sed ex universa scientiarum regione, nisi ad fixum significatum reducantur, proscribendæ.

\* \* \*

*MACHINA est series instrumentorum subordinatorum.*

Machinae quemadmodum instrumenta *artificiosa sua natura*, sic etiam *usu*, in producendis

## 52 MANTISSA DEFINITIONVM

dis effectibus longe superant. Sed utrumque, quod partim non sine multa arte construantur, partim etiam, quod rebus efficiendis valde accommodatae sint, *attributis* machinarum annumerandum; in definitione autem, si modo id fieri potest, essentia rerum explicanda est, ut inde ratio attributorum reddi queat. Hæc igitur definitio, nisi me omnia fallunt, *essentialis* est, generalis tamen & *metaphysica*, unde notio *Mechanica* machinarum facili negotio erui potest. Imo etiam *Automatorum*, quæ sunt species Machinarum, definitio non multa arte ex hac notione derivari potest, & ita quidem, ut *pulchritudinis* illius, quam Leibnitz Automatis inesse subinde monuit, rationes pateant.

\* \* \*

**MODVS COEXISTENDI,**  
*sunt relationes rerum coexistentium.*

\* \* \*

**MODVS SVCCEDENDI,**  
*sunt relationes rerum, quæ fibi invicem succedunt.*

Per hanc & antecedentem definitionem, notio pulcherrima ordinis, quod sit similitudo obvia

obvia in modo, quo res sibi invicem coexistunt,  
vel sibi invicem succedunt, adæquata redditur,  
eoque magis perficitur, quo amplior Theoria  
relationum in Ontologia recentiori traditur.

\* \* \*  
**D E R E D I S P O N E R E** est rei  
statum voluntate sua determinare.

\* \* \*  
**P E R F E C T E D E R E D I -**  
**S P O N E R E :** est omnem rei statum  
voluntate sua determinare.

\* \* \*  
**D E R E I S V B S T A N T I A**  
**D I S P O N E R E** est, rei statum  
internum voluntate sua determinare.

\* \* \*  
**D E R E I P O S S E S S I O N E**  
**D I S P O N E R E** est statum rei ex-  
ternum voluntate sua determinare.

De his notionibus vide *Elementa Theo-  
riæ possessionis & Dominii rerum Opuscula Aca-  
demica* p. 225. seqq.

\* \* \*  
**P O S S E S S I O C L A N D E -**  
**S T I N A** est, cum rem alienam  
tempore quiescente possidemus.

TEM-

\* \* \*  
*TEMPVS QVIESCENS* est tempus, quo  
quis rem suam vel per hujus naturam usurpare  
non potest, vel usurpare non vult.

\* \* \*

*OCCUPATIO CLANDESTINA* est  
occupatio rei alienae tempore quiescente facta.

\* \* \*

*SUBLIME IN SCIENTIIS* est id, quod,  
nisi cognitis ante multis aliis, cognosci nequit.

Corollaria varia, ex hac definitione de-  
ducta, videoas in *dissertatione de sublimi in sci-  
entiis*, quæ inserta est *Opusculis Academicis*,  
p. 101.

\* \* \*

*INTERPRETARI* librum, vel locum, est  
notiones exponere, quibus opus est ad sensum li-  
bri vel loci percipiendum.

Hac *interpretandi* definitione usus sum  
in condenda *Hermeneutica generali*, quæ  
nuper sub titulo: *Einleitung zur richtigen  
Auslegung vernünftiger Reden und Schriften*,  
prodiit, in qua plura ad illustrandam hanc de-  
finitionem facientia, præsertim *Cap. IV.*  
Et X. reperies.





